Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26003
Copyright: Admont, Benediktinerstift

festum est in illis. Deus enim illis revelavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur. Lux que rationis est. que lucet in quamlibet profundis peccatorum tenebris. Sed lucem hanc in se ipsis lucentem cum tenebre essent non comprehenderunt. quia videlicet cum cognovissent deum non sicut deum glorificaverunt aut gratias egerunt. Amplius autem rei sunt iudei. quia cum tam naturalis rationis iudicio quam sacre legis testimonio lucem veram possent agnoscere presentem. magis obtenebrati sunt. et non cognoverunt eam. Clauserunt quippe oculos suos ne viderent. et aures suas compresserunt ne audirent. et omnino intellegere noluerunt ut bene agerent. Ecce signum cui contradicebatur. quantis fragoribus intonantis veritatis defenditur. Quid spiritus inmundi contra hiscere possunt. ab inferioribus hereticorum prerepentes in modum ranarum. Verumtamen alii super sunt hostes et contradictores huius signi. scilicet iudei qui tamquam sub alio celo positi non terrentur. quia non audiunt fragorem huius tonitrui. Nam heretici quidem quasi de suo celo fulminant. dum sequaces apostolorum se esse simulantes. alioquin enim non audirentur nisi apostolici esse putarentur. simulantes ergo apostolicam se tenere vel proferre doctrinam. tanti apostoli testimonio desuper ut adversarii feriuntur. At vero iudei tamquam sub alio climate sunt. quia christi apostolos non recipiunt. et propterea nichil ad eos pertinet. nichil eos movet quod tantam gloriam dei nostri adnunciat firmamentum. Quid ergo. Numquid excusabiles erunt. Numquid non audierunt vel se audisse dissimulare poterunt. Immo primi audierunt. non undecumque sed ex ore eius quem nec abscondere nec refellere ullatenus possunt. Audierunt quippe per Iohannem baptistam quem omnes sciunt esse prophetam. cui non ex hominibus sed de celo fuisse testimonium negare ipsi nequeunt. Celebratum est enim et ab ipsorum hystoriographis nomen meritumque Iohannis. miraculum nativitatis. et sanctitas vite mirabilis. dignitas predicationis. et auctoritas baptismatis. testimonium quoque quod christo perhibuit. et causa mortis. Qui ipse quidem nihil scripsit. sed cum tantus esset ut christus potuisset estimari. quod dixerit. quem digito ostendit totus orbis audivit. et hic sonus eius in omnem terram exivit. Hunc ergo testem tam idoneum hic dilectus christo Iohannes assumit secum. ut in ore duorum testium legitime stet hoc fidei verbum. digneque frequens prestet adiutorium. tam propter testium vitam quam propter testimoniorum constantiam. cum quibus hic assumit alternatim positurus nunc sua. nunc illius verba christo testimonium perhibentis. hoc primum ostendens ante omnia quis vel qualis fuerit.

Fuit homo missus a deo. cui nomen erat Iohannes. Provide cum de verbi eternitate loquens evangelista dixerit erat et erat. nunc fuit homo dicit. de terra in preteritum perfectum tempus dictiuncula. Nam quia verbum esse nec cepit nec desinit. huius autem hominis Iohannis utpote defuncti iam esse preteriit. tamdiu quippe recte homo esse dicitur. quamdiu caro est cum anima rationali. prudenter ergo et proprie de illo erat. de hoc dictum est. fuit. Et enim celi peribunt psalmista inquit. tu autem permanes. et omnes sicut vestimentum veterescent. et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur. tu autem idem ipse es. et anni tui non deficient.